



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Compendivm Summæ Card. Toleti

Minucius, Genesius

Sammieli, 1613

De examine à confessario faciendo c. 17

urn:nbn:de:hbz:466:1-41701

ta in confessione tantum manifestata, nouerunt, etiam qui à Sacerdote reuelante, vel ex curiositate, seu malitia immediatè in confessione audiuerunt.

De Examine à Confessario faciendo. Cap. 17.

VT Confessarius multorum pœnitentium inscitia suppleat, debet eos diligenter examinare ante confessionem, in confessione, & post ipsam confessionem. * Primò ante cõfessionem ea petat, quæ absolutionem, vel cõfessionem ipsa impedire possent, quæ sunt septem. * Primum locum tenent casus, & censura reservata, quare de iis primò pœnitentem examinabit, & si habebit huiusmodi casus, prius ipse impetret absoluendi facultatem, vel certè ad superiorem, pœnitentem mittat, vt ab eo absoluaatur.

*Secundò, petet Confessarius an pœnitens habeat aliquod pecuniarum, vel famæ restitutionis debitum, aut votum, & sit in solutionis mora. *Tertio, de pœnitentis statu, an videlicet solutus, vel conjugatus, seu Ecclesiasticus sit, si solutus, an promiserit se ducturum vxorem, & impedimentum aliquod habeat. Si conjugatus, an habitet cum vxore, vel non, & iustam habeat causam, alioquin non esset absolvens, sicut nec Clericus, qui plura retineret beneficia curata, vel simplicia sine Papæ dispensatione, vel non resideret. *Quarto, quandiu non sit confessus, si annum excesserit, aut aliquod peccatum in præteritis confessionibus celauerit. *Quintò, Si diligenter conscientiam propriam examinauerit. Sexto. Si doceat de peccatis, & abstinendi propositum habeat. *Septimo, an sciat fidei articulos, & Decalogi præ-

cepta, nam hæc sub mortali quilibet tenetur scire, & nescientes non sunt absoluedi, nisi cogantur quamprimum illa addiscere.

De iis, quæ in confessione sunt examinanda. Cap. 18.

NVllo modo Confessarius pœnitentē interroget, nisi prius ea, quæ ipse nouit, vel memoria tenet, humiliter accuset, nam si de peccatis antea non cogitauit, est dimittendus, si cogitauit, fieri non potest, quod aliorum non recordetur. Ignaros autem pœnitentes prius interrogabit de circumstantia peccati specie mutante, vt si percussit laicum, vel clericum, in loco sacro, nec ne, & an animo occidendi, an non, & an hoc vel illud existimaret esse peccatum mortale, nec ne. Hinc de peccatorum numero, si actus sit interior, vel exterior, de occa-